

asserunt, terram & aquam nullo modo idem habere centrum, sed duo distincta, ac propterea non effici ex illis vna dumtaxat sphaera, sed duas. Dicunt namq; In principio mundi terram, & aquam rotundas quidem, atq; concentricas, circa centrum nimirum mundi, fuisse creatas: Deinde recessisse aquam ex vna parte, in oppositamq; partem magno tumore congregatam fuisse, existente interim terra immobili in centro vniuersi; Itaq; aiunt ex illa segregatione aquae a terra duos esse etos esse globos inter se distinctos, diuersosq;, vnum quidem terrae, alterum vero aquae, quamuis nullus horum globorum totus, atq; integer appareat, sed ambo sese mutuo interfecent. Ex qua sententia sequitur, duo ponenda esse centra, vnum totius vniuersi, quod idem dicunt esse cum centro terrae; alterum ipsius aquae. Negare enim non possunt. rationibus & experiencijs conuicti, tam terram, quam aquam esse rotundam atq; sphaericam. Quod si illis obijcias, inde fieri vt aqua vel violenter contineretur, vel certe deflueret, terramq; operiret. Respondent, aquam supernaturali Dei beneficio, ac miraculo ibi contentam non posse terram operire, operiret vero maxime, si conditioni suae naturae, quae est ad decliuora loca confluere, relinqueretur.

ALII vero eosdem duos globos ex terra & aqua constituentes, nihil supernaturale admittere volunt, sed autuant, iussu Dei non solum aquam, verum etiam terram a centro mundi recessisse, neq; iam super naturaliter aquam contineri, ne fluat ad locum decliuorem, terramue operiat. Vnde hi auctores tria centra consingunt, vnum totius vniuersi, alterum terrae, tertium deniq; ipsius aquae. Causa vero, cur omnes praedicti auctores duos globos efficiant ex terra & aqua, haec esse videtur, quia nimirum putant, aquam multo esse maiorem ipsa terra, Vnde si aqua esset terrae concentrica, vtiq; ipsam operiret: duo namq; circuli seu globi inaequales concentrici esse nequeunt, quin maior totum minorem includat, vt ex Geometria manifestum est.

VERVM vtraq; sententia multis potest modis impugnari. Prima quidem, quoniam sine vlla necessitate confugit ad miracula: Secunda vero, quia dum conatur defendere, omnia modo esse naturaliter constituta, effugere non potest, quin concedat, supernaturale esse, quod centrum mundi non sit centrum terrae, cui naturaliter debetur ob summam sui grauitatem, vt omnes philosophi fatentur. Adde quod pugnatum omni experientia, terram non esse in centro totius vniuersi collocatam